

LATIN

Version

Nourriture du corps et nourriture spirituelle

« Plane », inquit mater, « nulla re alia credo ali animam quam intellectu rerum atque scientia. » De qua sententia cum Trygetius dubium se ostenderet, « Hodie, inquit illa, tu ipse nonne docuisti unde aut ubi anima pascatur ? Nam post aliquantam prandii partem te dixisti advertisse quo vasculo uteremur, quod alia nescio quae cogitasses, nec tamen ab ipsa ciborum parte abstinueras manus et morsus. Ubi igitur erat animus tuus, quo tempore illud te vescente non adtendebat ? Inde, mihi crede, et talibus epulis animus pascitur, id est theoriis et cogitationibus suis, si per eas aliquid percipere possit. » De qua re cum dubitanter streperent, « Nonne », inquam, « conceditis hominum doctissimorum animos multo quam imperitorum esse quasi in suo genere pleniores et majores ? » Manifestum esse dixerunt. « Recte igitur dicimus eorum animos, qui nullis disciplinis eruditi sunt nihilque bonarum artium hauserunt, jejunos et quasi famelicos esse. »

Saint Augustin, *La Vie heureuse*, 8.

L'usage d'un dictionnaire latin-français est autorisé.